Quelle: https://manuscripta.at/?ID=388
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

Perniciosum autem est consilium hominis ipsi homini quo ea querit que
sua sunt non que sunt dei. in cuius hereditate quod ipse nobis est. cum ad fruendum se
prebere dignabitur. nullas patiemur cum sociis societatis angustias. dilectione rei
nostre quasi private. Gloriosissima quippe illa ciuitas adepta promissam hereditatem
in qua nullus morietur. nullus orietur. non habebit ciues qui singuli gaudeant suis rebus.
quia deus erit omnia in omnibus. Cuius societatem quisque in hac peregrinatione fideliter et
flagranter desiderauerit. assuescat priuatis conferre communia. non sua querendo
sed que ihesu christi. ne sua sapiens et sua consulens exacerbet deum consilio suo. sed spe-
rans quod non uidet. non festinet fieri de his que uidentur beatus. atque illud eternum quod non
uidetur patienter exspectans eius in promissionibus sequatur consilium. cuius in temptatio-
nibus precatur auxilium. Ita erit humilis in confessionibus suis. ne fiat istorum similis
de quibus dicitur. Et humiliati sunt in iniquitatibus suis. Deus tamen plenus misericordia non ne-
glexit eos. Et uidit cum tribularentur. cum audiret orationem eorum. Et me-
mor fuit testamenti sui. et penituit eum secundum multitudinem misericordie sue. Penituit
dictum est. quia mutauit quod eos perditurus uidebatur. Et apud deum quidem disposi-
ta et fixa sunt omnia. nec aliquid facit quasi consilio repentino quod non ex eternita-
te facturum se esse presciuit. sed in creatura temporalibus motibus quasi repentina uolun- [quam gubernat mirabiliter ipse non temporaliter motus]
tate facere dicitur. quod ordinatis rerum causis consilii sui secretissimi inmutabilita-
te disposuit que suis queque temporibus agnita et presentia facit. et futura iam fe-
cit. Et ad hec quis idoneus? Audiamus itaque scripturam humiliter et excelsa di-
centem. cum et paruulis nutriendis fumda porrigit. et maioribus exercendis
perscrutanda proponit. Et uidit cum tribularentur. cum audiret orationem eorum. et
memor fuit testamenti sui. utique testamenti eterni. quod disposuit ad abraham. non ueteris
quod aboletur. sed noui quod etiam in uetere absconditur. Et penituit eum secundum multi-
tudinem misericordie sue. Hoc fecit quod disposuerat. sed tribulatis et orantibus se id
concessurum esse presciuerat. quia et ipsa oratio eorum cum adhuc non esset. sed futura esset.
deum procul dubio non latebat. Et dedit eos in misericordias. ut essent non uasa ire. sed ua-
sa misericordie. Ideo autem puto pluraliter misericordias dictas in quas eos dedit. quia unusquisque pro-
prium donum habet a deo. alius sic. alius autem sic. Dedit eos in misericordias. in conspectu omnium
qui ceperant eos. Age nunc quisquis hec legis et gratiam dei qua in eternam uitam per dominum
nostrum ihesum christum redimimur. legendo in apostolicis litteris. in propheticis autem scrutan-
do cognoscis. et uetus testamentum in nouo reuelatum. et in uetere nouum uelatum
uides. recole quem dixit apostolus paulus principem potestatis aeris qui operatur in filios
infidelitatis. et illud ubi ait de quibusdam. ut resipiscant de dyaboli laque-
is captiuati ab ipso secundum ipsius uoluntatem. et uerba domini nostri ihesu christi ubi
eum expellens de fidelium cordibus ait. nunc princeps huius mundi missus est foras.